



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Passio Sanctorvm Martyrvm, Getulij, Amantij, Cerealis, Primitiui, Symphorosae, ac septem filiorum

Cardulo, Fulvio

Romae, 1588

Passio Ss. Martyrvm Getvlii Et Sociorvm

urn:nbn:de:hbz:466:1-9427

PASSIO
SS. MARTYRVVM
GETVLLI ET
SOCIORVM

PER F. LAURENTIVM SVRIVM
*ex vetustissimis, & manuscriptis codicibus
Martyrologijsq. descripta, et in tertium
volumen relata. x. Iunij.*



TEMPORIBVS Hadriani Imp.
fuit vir quidam, omnis diui-
næ legis peritissimus, idemq;
Christianissimus, Getulius
nomine. Degebat autem in
Sabinorum regione haud procul ab vr-
be Roma; conuocabatq; ad se quotidie
permultos, tum ex Italia, tum ex Græcia
Christianos, ijsq; alimenta præbens, di-
uinam legem exponebat, eosq; erudie-
bat. Peruenit autem rei fama ad aures
Hadriani Imperatoris, qui misso Cereale
Vicario iussit eum comprehendi. Vbi ad
illum venit Cerealis, inuenit eum seden-

A tem,

tem, & more solito Christianos instituentem, qui eius doctrina magis ac magis in fide Christi confirmabantur. Dixit autem ei Cerealis, Audisti quæ sint à Principibus edicta apud omnes proposita? Respondit S. Getulius, Itane Principū iussis parere necesse est? Cerealis dixit, Tu ipse edicito, æquumne sit parere. S. Getulius ait, Cui tandem, ò Princeps, obtemperandū est? mortaline homini & mox in putredinem abituro, an vero omnipotentis Dei filio? Cerealis dixit, Habet ergo filiū Deus vester? S. Getulius respondit, Habet plane, qui quidē & fuit, & est & erit semper. Cerealis dixit, Qua vel doctrina, vel signo nosse licebit filium Dei, Deum esse, quemadmodum tu doces? Respondit S. Getulius, Noueris verbum Dei verum Deum ex Deo Patre genitum, & de spiritu sancto conceptum, ex Virgine Maria natum esse, eumq; nouissimis temporibus dignatū esse venire, vt mortuos suscitaret, cæcos illuminaret, leprosos mundaret, super mare pedibus ingrederetur, vētis & tempestatibus imperaret. Cerealis dixit, Nosse velim, quinā isthuc factum

factum sit. Tum S. Getulius vocauit ad se Amantium Tribunū, fratrem suum, qui metu Hadriani Principis latitabat, narrauitq; ei omnia de Cereale Vicario. Porro ipsi Cereali indicauit Amantium; ad cuius conspectū mirifice exhilaratus est Cerealis. Dixit autē ei S. Getulius, Abijce iam, Cerealis frater, artes Diabolicas, & amplectere Christi patientiam. Ego, cum in Tiburtina vrbe haberem vxorē, liberos, & opes, omnibus vale feci, vt possem ad æternam p̄uenire salutem. Cerealis respondit, Equidem nec vxorem, nec proles habeo, quas relinquam; Si verò est aliquid æternum, ne quæso, illud me celetis. S. Getulius dixit, æternum hoc est, vt manufactis idolis repudiatis, in Christum Dei filium credas. Cerealis ait; At quo tandem ordine hæc fides suscipienda est, vt ne quid fuscatum in me resideat? Dixit ei Amantius Tribunus, amicus eius; Baptismū percipies in Christi confessione, & sic vitam habebis sempiternam. Si vero reliqueris omnia, quæ in hoc mundo appetis, centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Cerea-

lis ait, Ecquid obstat, quo minus pro Christo filio Dei sanguinem meum fundam? sed iã, quæso vos, moras neçtere ne velit. Tum S. Getulius ad pœnitentiam eũ adhortabatur, simulq; ei triduanum indixere ieiunium, donec diuinitus edoceretur, quid faciendũ esset. Cumq; tota nocte in vigilijs & precibus durarent, audierunt vocem angelicam ipsos admonentem, vt Xystum vrbis Romæ Episcopum ad se vocarent, & ab illo baptisma perciperent.

Venerunt igitur Romam, & accersito B. Xysto Episcopo, in Cryptam quandam eius, quã diximus, regionis ingressi sunt; vbi B. Xystus more Christiano eum catechismo imbuit, ac deinde baptizauit. Eadem autem hora vidit Cerealis descendentem super se Spiritum sanctũ, & mox ingenti voce clamauit, Ecce, video lumen quoddam, solis splendore illustrius, in me delabi. Porro B. Xystus pro singulis obtulit sancta libamina, & participes eos fecit sacrosancti corporis & sanguinis Christi: & cum eos in fide confirmasset, gratias agens, discessit ab eis. Eodem tempore

pore

pore officiales Cerealem quæsierunt .
Venit autem Vincentius quidam eò, ubi
erant sancti, aurum publica exactiōe
collectum asportaturus . Ut autem vidit
eum Cerealis, dixit ei, Nos temporarias
res iam abiēcimus, ut fruamur æternis .
Temporalia enim vnà cum illis, qui amo-
re ea prosequuntur, in nihilum redigen-
tur. Tum Vincentius magna voce excla-
mauit; O principes orbis, & reipublicæ
moderatores, seductus est Cerealis digni-
tate Vicarius, relictisq; Dijs phantasma-
ta sectatur; multaq; ira incensus celeri-
ter cucurrit ad Hadrianum Principem,
eiq; quid comperisset, exposuit, nempe
Cerealē se Christianum confiteri. Itaque
Hadrianus misit Licinium consularem,
qui ipsi Cerealem sisteret. Licinius ve-
niens ad urbem Sabinorū, tenuit Cerea-
lem, & cum illo Getulium, Amantium, &
Primitium: moxq; scripto petijt ab Ha-
driano, quid de illis fieri iuberet. Rescri-
psit autem Hadrianus, ut aut immolarēt
dijs, aut ignibus cremarentur. Eodem er-
go die, quo lectæ sunt litteræ Imperato-
ris, iussit Licinius in ciuitate Tiburtina

6 P A S S I O.

tribunal sibi præparari, sanctosque victos exhiberi. Cumq; venissent, ita dixit, Adeone, Cerealis, vitam desperasti tuam, vt præcepta Principũ, qui toti imperant orbi, contemnenda putes? Cerealis respondit, Et thesauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, & Christo IESV me seruiturum promitto, vt vitam obtineam sempiternã. Licinius dixit; Sacrifica dijs Ioui & Marti: alioqui extorquebo à te animam tuam. Respondit S. Getulius; Ego non perdam animam meam, immo verò potius lucrabor eam. Tunc ira inflammatus Licinius, iussit eos exspoliatos cædi, dicens, Præcepta Principũ contemnere nolite, sed magnis dominis obtemperate. Cum autem cæderentur, Beatus Getulius magnificans Deum, alta voce dixit: Gratias ago Deo Patri omnipotenti, & Domino Iesu Christo, eiq; me ipsum sacrificium mundum offero. Dixit ei Licinius, Quod est mundum sacrificiũ? B. Getulius respondit: Spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum Deus nõ despicit. Licinius dixit ad ministros: Abducite istos

stos in carcerem : vbi sane ad dies viginti septem permansere . Porro Licinius Romanam proficiscens, res gestas narrauit Hadriano Imperatori . At ille furore percitus, misit milites, qui eos flammis exurent. Ducti sunt ergo sancti Martyres ad tredecim milliaria ab vrbe Roma, & illic ligatis manibus & pedibus ad flumen Tiberim in ignem coniecti sunt . Cum autem B. Getulium flammæ non contingerent, & ille magis in Domino confortatus, solutis vinculis Christum Dei filium glorificaret, milites caput ei fustibus confrugerunt : & sic, inuocans Dominum, emisit spiritum . Cuius sacrum corpus colligens Symphorosa vxor eius, honorifice sepeliuit in arenario prædij sui . Vbi (vt codex Vaticanus testatur) frequenter cū filijs suis vigilias & orationes celebrabat cum B. Exuperantio presbytero . Ado etiam in suo Martyrologio iiii. Idus Iunij; Consummati sunt, inquit, Beati Martyres in fundo Capreolis via Salaria, ab vrbe Roma plus minus milliario tertiodecimo supra fluuium Tiberim in parte Sabinsium . Quorum corpora collegit B.

S P A S S I O

**Symphorosa, vxor B. Getulij martyris,
Quæ non longe post eundem ipsum mar-
tyrem cum septem suis filijs fuit marty-
rio confecta, videlicet xxvii. die men-
sis Iunij, & sepulta est in prædio suo, lo-
co, & oppido supra nominato.**